



BOLETÍN DEL CLERO
DEL
OBISPADO DE LEÓN

PER SOLLEMNIA SACRAE PENTECOSTES
PECVLIARES PRECES CATHOLICIS COMMENDANTVR

LEO PP. XIII

VNIIVERSIS CHRISTIFIDELIBVS PRAESENTES LITTERAS INSPECTVRIS
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Provida matris caritate dignum maxime est votum, quod Ecclesia, rite Deo exhibere non cessat, ut populo christiano, quacumque ille patet, *una sit fides mentium et pietas actionum*. Similiter Nos, qui Pastoris divini ut personam in terris gerimus ita studemus animum imitari, idem propositum catholicas inter gentes fovere nullo modo intermisimus, idemque nunc enixius apud gentes eas urgemos, quas Ecclesia ipsa iam diu ad se magno revocat desiderio. Hisce vero consiliis curisque Nostris unde praecipue et auspicia petierimus et incrementa expectemus, non obscurum est apertiusque in dies extat: ab eo nimis qui *Pater misericordiarum* iure optimo invocatur, et cuius est illustrare mentes benigneque voluntates flectere in salutem.—Nec sane catholici non videre possunt quanta sit susceptarum a Nobis rerum gravitas et praestantia; in eis namque, cum amplificatione divini honoris et christiani nominis gloria, salus plurimorum vertitur sempiterna. Quae ipsi si probe religioseque, ut aequum est, considerent, acriorem profecto

sentient animis vim flammarumque supernae caritatis, nihil quidquam Dei gratia recusantis, nihil non emitentis pro fratribus. Ita fiet, quod magnopere optamus, ut Nobiscum illi coniungant alacres non modo secundi exitus fiduciam, sed omnem etiam quam possint opem; eam in primis quam humiles sanctaeque preces a Deo conciliant.—Cuiusmodi officio pietatis nullum videtur accommodatius esse tempus, quam quo olim Apostoli, post Domini ascensum in caelum, simul constiterunt *perseverantes unanimiter in oratione cum... Maria Matre Iesu* (1), promissam expectantes *virtutes ex alto omniumque dona charismatum*. In eo nempe Caenaculo augusto ex eoque Paracliti illabentis mysterio, Ecclesia, quae iam a Christo concepta, ipso moriente prodierat, tunc feliciter, quodam veluti afflatu divinitus accedente, suum coepit obire munus per gentes omnes, in unam fidem novitatemque christianaee vitae adducendas. Brevique tempore fructus consecuti sunt uberes et insignes; in quibus ea voluntatum summa coniunctio, nunquam satis ad imitationis laudem proposita: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* (2).

Ob eam Nos causam censuimus catholicorum pietatem hortatu atque invitatione excitare, ut per exempla Virginis Matris et Apostolorum sanctorum, proximis novendialibus ad sacrae Pentecostes sollemnia, Deum velint uno animo et singulari studio ad precari, illa instantes obsecratione: *Emitte Spiritum tuum, et creabuntur: et renovabis faciem terrae.*—Maxima enimvero ac saluberrima bona ex eo sperare licet, qui Spiritus est veritatis, arcana Dei sacris in Litteris elocutus, Ecclesiamque perpetua presentia confirmans; ex quo, vivo sanctitatis fonte, regeneratae animae in divinam adoptionem filiorum, mire ad aeterna augentur et perficiuntur. Siquidem ex multi-formi Spiritus gratia divinum in eas lumen et ardor, sanatio et robur, levamen et requies, omnisque prosequendae bonitatis animus, sancteque factorum secunditas perenni munere, derivantur. Idem denique Spiritus virtute sua in Ecclesia sic agit, ut mystici huius corporis quemadmodum *caput* est Christus,

(1) Act. IV, 14.

(2) Ib. 32.

ita ipsem cor apta possit similitudine appellari: nam cor habet quendam influentiam occultam; et ideo cordi comparatur Spiritus Sanctus qui invisibiliter Ecclesiam vivificat et unit (1).—Quoniam ille igitur omnino *Caritas est* eique opera amoris insigniter tribuuntur, valde idcirco sperandum, fore per ipsum ut, evagante spiritu erroris et nequitiae cohibito, arctior fiat quae decet Ecclesiae filios vigeatque consensio et societas animorum. Qui quidem, secundum admonitionem Apostoli, nihil per contentionem agant, idem sapient, eamdem habeant caritatem unanimes (2); atque ita Nostrum explentes gaudium, civitatem quoque incolumem florentemque non uno nomine efficiant. Ex hoc autem catholicorum inter se christianae concordiae specimine, ex hac impensa divini exorandi Paracleti religione, eo sperandum est vel maxime de reconciliacione quam instituimus dissidentium fratrum provehenda: ut idem illi velint in semetipsis sentire *quod et in Christo Iesu* (3), eiusdem nobiscum fidei atque spei aliquando compotes, vinculis coniuncti optatissimis perfectae caritatis.—At vero, praeter bona emolumenta quibus fideles, quotquot hortationi Nostrae libentes responderint, talem pietatis fraternique amoris soller-tiam certe a Deo cumulatam habebunt, placet Nobis praemia sacrae indulgentiae ex thesauro Ecclesiae addere largiri.

Itaque omnibus qui novem continuis diebus ante Pentecosten quotidie preces aliquas peculiares ad Spiritum Sanctum, publice vel privatim, pie fecerint, concedimus in singulos eos dies indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum; plenariam autem in uno quolibet eorumdem dierum vel festo ipso die Pentecostes vel quolibet ex octo insequentibus, modo rite confessione abluti sacrâque communione refecti ad mentem Nostram, quam supra significavimus, supplicaverint Deo. Hoc praeterea tribuimus, ut si qui easdem precum conditiones iterum pro pietate sua praestent per octo dies a Pentecoste proximos, ipsis liceat utramque consequi iterum indulgentiam. Quae beneficia etiam animabus piis igni purgatorio

(1) *Summa th. s. THOMAE* p. III, q. VIII, art. 1 ad 3.

(2) Philipp II, 2, 3.

(3) *Ib.* 5.

addictis converti ad suffragium posse, atque in posteros item annos esse valitura, auctoritate Nostra decernimus atque edicimus; iis ceterum salvis quaecumque de more sunt ac iure servanda.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die V Maii anno MDCCCXCV, Pontificatus Nostri decimo octavo.

C. CARD. DE RVGGIERO.

SECRETARIA DE CÁMARA Y GOBIERNO DEL OBISPADO.

S. E. I. el Obispo, mi Señor, se ha servido nombrar T. Arcipreste de Navatejera al Sr. D. Pedro Fernández Recio, Párroco de Villaobispo.

León, 15 de Mayo de 1895.—Dr. Adolfo Pérez Muñoz, Pbro. Secretario.

COLLATIONES MORALES PRO MENSE JUNII.

1.^a

Quid sit sacramentum.—An præter sacramenta existant alia media quibus gratiam tam actualem quam habitualem possint homines obtinere.—An et quomodo novæ legis sacramenta a sacramentalibus et V. legis sacramentis differant.—Quibus elementis novæ legis sacramenta perficiantur.—Quid et quotplex sit materia.—Quid forma, et an semper in verbis consistat.—An et quomodo materia et forma conjungi debeant.—Qualis in nova lege sacramentorum numerus.—An omnia immediate a Christo instituta.

Casus.

Camilus juvenis laicus, qui et Theologicis disciplinis operam dederat, frequenter parocho inter deambulandum significavit, non obstante Tridentina definitione, tuto doceri posse plus quam septem esse sacramenta, eo quod talis definitio non de infima et specifica sacramentorum divisione sit intelligenda: contra parochus hæc motiva parvipendens, oppositam doctrinam omnino tenendam affirmavit, Camilum monens se velut hæreticum eum habiturum si id pervicaciter docere præsump-

serit. Interim a Camilo rogatus parochus, ut quod matrimonium cum Maria celebrare intendit, benedicere dignetur, id sibi ob Ecclesiæ vetitum non licere respondit, nisi prius vulgatum errorem, retractaverit. Re per Camilum ad Ordinarium delata, ut se ab hæresis criminis vindicaret, parochum accusavit quod invalide sacramenta non raro ministraverit; nam in Extremæ Unctionis conferendo vidisse illum affirmat prius omnes sensus ungentem, et dum postea loca incuneta extergebatur, formam quæ singulis respondeat sensibus proferre. Quid de utriusque doctrina, deque eorum agendi ratione? Validè et licite parochus poterat et matrimonium benedicere, et Extremam Unctionem prout in casu, conferre?

Quæstio liturgica.

An prima uniuscujusque mensis feria sexta, liceat Missam votivam SS. Cordis celebrare idque in omnibus Ecclesiis, et a singulis Sacerdotibus.

2.^a

An dignitate et necessitate novæ legis sacramenta sint inter se paria.—Quinam effectus omnibus sacramentis communes sint.—Quænam characterem imprimant et quomodo gratia sacramentalis a sanctificante differat.—Quid sit gratiam conferre ex *opere operato*.—Quid sit gratia prima et secunda et an utramque singula sacramenta ex sua institutione vel saltem per accidens conserant.—An sacramentum, ficte susceptum aliquando reviviscat et quæ dispositiones ad id requirantur.

Casus.

Vitalis ethnicus, ad fidem conversus, hancque sufficienter jam edoctus, Baptismum suscepit; sed ipso ablutionis tempore pravam cogitationem admissit: pluries postea et pœnitentiæ sacramentum suscepit et sacra communione refectus est quin de admisso peccato dolorem conceperit: serupulis tandem exagitatus, rem parocho recenter laureato in confessione manifestare decrevit ab eoque hoc responsū accepit: «turpiter et indigne fecisti; propter obicem a te positum huc usque sacramentorum gratia privatus es; sed ne timeas: dole nunc de omnibus peccatis, et obice sublato, et Baptismus et Pœnitentia reviviscent et peccata tua etsi rubra ut coccinum quasi nix

dealbabuntur, » et sic sine absolutione dimisit. Tacuit Vitalis; sed cum mirabilis videretur talis mutatio, totum quod factum fuerat, parochi adjutori narravit, qui ridens Doctoris scientiam, et Baptismum secreto iteravit et præmissa confessio-ne sacramentaliter eum absolvit. Quis veram viam assequ-tus est?

Quæstio liturgica.

Incensari debet SS. Sacramentum dum cum Eo populus benedicitur, vel saltem id fieri potest?

3.^a

Quis sacramentorum minister.—Qualis ordinarius et ex-traordinarius. — An in ministro requiratur fides.—An status gratiæ.—An unus possit minister, simul pluribus idem sacra-mentum conferre et vicissim an a duobus saltem unum sacra-mentum valide confici possit.—An possit minister sacramen-torum materiam et formam mutare et an quævis mutatio eorum valori officiat. An licite possit materia dubia uti.

Casus.

Cornelius catechumenus, jam inter *competentes*, ab ignoto quodam homine subripitur et in longinquam regionem deporta-tus est: cum diu in silvis commorasset, ad Episcopum in vinculis possum rediit dicens se cum maximo Baptismum suscipiendi desiderio flagraret, ab Angelo in deserto baptizantum fuisse; qua propter et Confirmationem et Eucharistiam suscipere in votis habebat. At Episcopus existimans sacramentorum ministrum, viatorem hominem esse debere, et aliunde cum præ vinculis, nec Baptismum nec Confirmationem ministrare posset, jussit ut a Carceris Custode qui ob infirmitatem, linguae usu præ-peditus erat, aqua perfunderetur, dum ipse formam Baptismi proferebat et sic discedere mandavit siquidem periculum aderat ne ad necem quæreretur. Erravit Episcopus circa valorem Baptismi ab Angelo ministrati? peccavit iterando? valet se-cundus Baptismus si prior nullus?

Quæstio liturgica.

Cum a Diacono incensatur Evangelium in Missa solemni perfici debet unusquisque ductus, dupli ictu?

Quid et quotplex sit attentio et intentio. Qualis requiratur in ministro Sacramentorum.—In quo consistat illa intentio «faciendi quod facit Ecclesia» An in subjecto ad valide suscipiendum sacramentum requiratur aliqua intentio et quænam sufficiat.

Casus.

Benedictus Sacerdos, zelo Religionis propagandæ permotus, pluries Isaacum judæum hortatus fuerat ut fidem catholicaam amplecteretur et Baptismum susciperet, at cum nullo modo id obtainere posset, et quadam die dormientem invenisset ait intra se: «si nunc etiam invitum baptizo, propter habitum fidei qui in Baptismo datur, promptitudinem ad credendum consequetur et sic forte desideratum obtinebo,» et hac ratione permotus baptizavit eum. Evigilavit Isaac, cumque iterum Benedictum hortatorem habuisset, fidem christianam suscipere decrevit. Tunc Benedictus qui summo afficiebatur gaudio, ut Baptismi efficaciam commendaret, rem Fausto manicheo narrat, qui illius ridens bonam fidem ait: hoc experimentum capere, primum ego tentavi, nam quainvis non credam ablutionem rem sacram esse, imo execrandam existimem, quia fœtum diaboli aquam puto, eo quo in Ecclesia fieri solet, fine et modo, prius Isaacum baptizavi. Ergo vel mihi laus vel nulla virtus aquæ adscribenda. Benedictus disputationem cum hæretico declinans obmutiluit, tamen intra se dicebat: tu ritum externum peregisti, rem sacram facere non intendens. Ergo nec Sacramentum confecisti. Mihi soli ergo laus. ¿Valide Isaac baptizatus est? A quo? Peccaverunt baptizantes?

Quæstio liturgica

Fieri debet commemoratio SS. in Missis privatis quæ durante expositione, sive solemnis, sive privata sit, celebrantur.

SUSCRIPCIÓN abierta en el Obispado de León para atender á las apremiantes necesidades de la Santa Sede.

	<i>Rs. Cs</i>
Suma anterior.....	6782 66
El Párroco de San Justo de los Oteros.....	20 »
El Párroco de Carbajosa.....	8 »
D. Santos Crespo, vecino de id.....	12 »
El Párroco de Otero y Matueca.....	8 »
El Ecónomo y feligreses de Ligüerzana, según lista.....	36 60
D. Robustiano Rodríguez, Ecónomo 8. Pedro Vélez 4. Antonio Mediavilla 2. Santiago Asejo 2. Eugenio Valle 2. Julián Ligüerzana 2. Lucas Villegas 2. José Vélez 2. Felipe Fuente 2. Francisca Gómez 1,60. Estanislao Marcos 1. Santiago Vélez 1. Baldomera García 1. Juan Roldán 1. Roque Guerra 1. Rafael Mediavilla 4.	
El Párroco de Navatejera.....	10 »
Algunos feligreses de Navatejera.....	3 »
Bustillo de Cea y Párroco de Santa María de Cea, según lista.....	60 80
D. Quirico López, 8 rs. D. Ambrosio Cuesta, 4. D. Benito García, 4	
D. Mariano Ampudia, 4. D. Manuel Tegerina, 4. D. Leoncio Caballero 1. D. Cipriano Caballero 1. D. Facundo Lazo 0,80. D. Serapia López 2. D.ª Vicenta Pacho 1. D. Daniel Rabanal 0,60. D. Salustiano López 0,40. D. Manuel Caballero 2. D. Marcelo Merino 2. D. Lucas Merino 2. D.ª Eugenia García 4. El Párroco de Sta. María de Cea 20.	
Cervera de Rio Pisuerga.....	10 »
D. Ignacio Lázaro.....	20 »
El Párroco de Roderos.....	12 »
El Párroco de Villarratel y Mellanzos con algunos feligreses.....	40 »
El Párroco de Bolaños.....	20 »
El Párroco de Calaveras de Arriba.....	40 »
El Párroco de Ferral de Bernesga.....	20 »
Varios feligreses de San Andrés de la Regla.....	102 »
El Párroco de Milla del Rio.....	40 »
El Administrador de la Virgen del Camino.....	20 »
Un devoto de Villacé, por Febrero.....	20 »
El Párroco y feligreses de la de Santa María de Valderas, según lista...	134 »
D. Sandalio de los Ríos, Párroco de Sta. María de Valderas 100	
D. Saturio Ballano 6. D. Zoilo Ovejero 4. D. Julián Ovejero 10. D. Juan Alonso 8. D. Pío Estébanez 4. D. Pablo Garzo 1. D. Angela González 0,60. D. Gregorio Herrero 0,40.	
Vecinos de Llánaves.....	20 »
El Ecónomo de Llánaves.....	8 »
De la Parroquia del Salvador de Villanueva del Campo, 2. ^a , según lista..	6 »
D.ª Agustina Ramos 2. D.ª Catalina García 2. D.ª Librada Palmera 2.	
Un devoto de Villacé por Marzo.....	20 »
Suma.....	7473 06